Oratio funebris

FRATRIS HANNIBALIS ROSELLI,

in ſepultura Stephani I.

REGIS POLONIÆ
SERENISSIMI,
1588.



CRACOVIÆ,
Ex Officina Lazari, Anno domini,
1590.

ILLVSTRI, PARITER ET Magnifico domino,

D. IOANNI SAMOSCIO,

REGNI POLONIÆ CANCELLARIO, ac exercitus eiusdem regni principi inuictisimo,

F. HANNIBAL ROSELLI, OMNIA BONA PRECATVR.



Aucis scripsi orationem funebrem, magni Stephani, regis Poloniæ nominatißimi, cuius odor adhuc replet aures catholicorum, cuius lumen in tenebris non extinguitur, cuius vita nunquàm moritur, cuius suauitas non interrumpitur in pectoribus nostris: rogauique D. Ianußouium, vt eam typis traderet. Sed cùm id absque alicuius dedicatione fieri non posset, Illustr. D. T. dicare volui: cui enim aptiùs dedicari potuit, quàm tibi, in quo requieuit duplex spiritus serenißimi Stephani? In principe illo inuictißimo, perfectißimè requieuit spiritus pacis, & spiritus belli: manus vna ad clauum, & altera ad remum: magnus vir belli, & optimus pacis conseruator; nihilominùs in tua Illust. dominatione emicuit spiritus belli, aduersus furentes regni impetitores, aduersus Tartarorum, atq; Turcarum dolosam irruptionem,

quos breui manu terga vertere coegisti : non minùs resplenduit spiritus pacis , in conciliandis ordinibus regni dissidentibus , in euellendis odiis diuturnis ex multorum cordibus , in totius denique regni conuictu pacifico. Cùm hæres ergo sis duplicis spiritus Stephani, & eiusdem prudentiæ, patientiæ, laborum , longanimitatis, pietats , zeli catholicæ fidei, sobrietatis , animositatis , inuicti & infracti animi , egregij & circumspecti ingenii, dexteritatis , sagacitatis , solertiæ, fortitudinis, iustitiæ, & temperati animi ; æstimaui apud me rem omnibus gratam facturum, si hæc oratio sub tui nominis tutela veniret in lucem. Accipe ergo læta fronte, tranquillo animo, vir prudentissime, regni polonici columna ferrea , & murus æneus , decus , & specimen singulare , hæc pauca nostra sub tuis felicibus auspiciis prodeuntia, & vt recti boniq; consulas , iterum , atque iterum rogo. Datum Cracouiæ ex conuentu Ordinis fratrum minorum de obseruantia, 4. Calendas Ianuarij , Anno Domini, 1590.

Oratio

ORATIO FVNEBRIS Fratris Hannibalis Roſelli, IN SEPVLTVRA STEPHANI I. Regis Poloniȩ ſereniſsimi, 1588.



HOC NOBIS MOTVS POlonorũm graues,& ciuiles,hoc intenſa frigora, non ſolùm aëris, ſed etiam iuſtitiæ & veritatis minabantur, & vltrà ſolitum viuendi modum, morum omnium corruptio,& honeſtatis denunciabat; quòd clementiſſimus Stephanus Bathori, receſſurus eſſet à nobis. Quid ni mundus ipſe defleret eum principem, continuò eſſe rapiendum; per cuius receſſum,mundus eſt turbatus, principes terræ ad bellum incitati, diuites depauperati, pauperes extincti, Regnum Poloniæ,paterno deſtitutũ præſidio? cuius terra madet ſanguine humano, cuius domus cõflagrationum adhuc ſpirant veſtigia? Huius inuictiſſimi Principis, iam ante

 aliquot

aliquot menſes declamauimus obitum, & nunc ſepulturã celebramus: aſsiſtente ſacris altaribus, Sigiſmundo Tertio eius ſucceſſore, Rege Sereniſſimo. Ergo Rex tantus receſsit à nobis? non totus receſsit: ſucceſsit enim in regnum eius, Rex humaniſſimus, Rex ex præclara, & antiquiſsima Iagellonis familia oriũdus, in qua Sigiſmundus Primus, pacis fundator, atque catholicæ fidei acerrimus defenſor, mirificè, atq; ſplendidè regni Poloniæ fines dilatauit: multis victorijs auctus, prælijsq́ue contra hoſtes fortiter geſtis, illuſtris effectus, immaniſſimo Turcarum Imperatori terrori erat, & formidini. non audebant tunc irrumpere in fines polonici regni, doloſi Tartari, non fœdifragi Turcæ, non ferox vicinus in polonos arma ſumebat; ſed omnes conterminæ nationes, Sigiſmundi Primi, Regis inuictiſſimi, Regis catholiciſſimi, Regis prudentiſſimi, arma timebant, admirabantur prudentiam, nec non potentiam cum pietate & fide coniunctam formidabant. Dum

etiam Sigiſmundus Primus regni guberna-
cula prudenter, & fortiter regeret; tunc flu-
mina iam lactis, iam flumina nectaris ibant:
omnia tranquillè, & pacatè agebantur in
Polonia. nec mirum, cùm promptuaria po-
lonorum benignè paterent omnibus: nec a-
uaritia intercipiens beneficia diuina, famem
ſitimque vulgo faceret; ſed omnes æquali-
ter abundarent. cùm habentes non haben-
tibus, largè copioſéq; donarent. ſed poſt-
quàm Saturnus á filio pulſus eſt, in Latium-
que delatus, arma Iouis fugiens, & regnis
exul ademptis, hoc eſt, poſtquàm hæreti-
corum ingreſſa eſt colluuies; pulſa eſt catho
licorũ ſimplicitas, & innocentia: poſtquàm
inuaſit peſtiferum ſchiſmaticorum virus, &
diuerſarum ſectarum fallacia; homines de-
lati ſunt in Latium, id eſt, dilatauerunt mala
ſua, & ſub velamine falſæ libertatis chriſtia-
næ ſeſe abſconderunt: Tunc deſeruit pro-
perè terras iuſtiſſima virgo; Et Iouis in re-
gno, cæliquein parte reſedit: tunc iuſtitia,
veritas, pietas, humanitas, ſinceritas, amor
frater-

fraternitatis, bonum reipublicæ, honestatis obſeruantia, ſobrietatis tutela, pauperum ſuſtentatio, violentorum punitio, homines deſeruit, & in cæli parte, hoc eſt, in paucis catholicis reſedit: tunc belli rabies, & amor ſucceſsit habendi. nec mirùm, ſublata enim fide catholica, inter ſe manus conſerere cœperunt, pater in filium, filius in parentem, mater in filiam, filia in matrem, & inimici hominis, domeſtici eius. Incidit noſter Sereniſs. Sigiſmundus Tertius in hæc tempora, & cum magno aduerſariorum tumultu, coronam regni ſuſcepit: grauia, & horrida bella, regni exordia præceſſerunt; magnam deinde pacem ſecuturam fore ſperamus: ſic enim læta triſtibus Deus miſcere conſueuit. Is igitur Rex Sereniſſimus, ex tã præclara, & antiquiſſima familia oriundus, ſucceſsit in regnum Stephano. Nec moueat ætas: eſt enim perfecta ætas, vbi perfecta eſt fides, vbi perfecta eſt virtus; fides quippe & virtus augent ætatem. Stephano autem ne ſimus ingrati: ſed ſuo pignori, ſe-

dulum

dulum ac patrium impendamus obſequium. Cantat Pſalmiſta: Dilexi, quoniam audiet Dominus vocem orationis meæ. Agnoſco ipſum Stephanum loquentem: verè enim dilexit, qui officia pugnaciſſimi Regis impleuit, qui ſeruauit hoſtes, qui dilexit inimicos, qui ijs, à quibus appetitus eſt, ignouit. Dilexit, quia pro regno ſæpiùs ſe morti obtulit, ſibique non pepercit, nec immenſos ſubire labores recuſauit. Dilexit regni iuſtitiam & honorem. Dilexi, inquit, quoniam exaudiuit me, vt regnum victorijs multis auctum, diuitijs, & populorûm multitudine cumulatum, nec non pacatum & tranquillum relinquerem. Feriatus his ſeculi curis Stephanus, ſe ereptum gaudet: eleuauit animam ſuam ad Deum, atque ad æternam requiem direxit; pulchre ſibi conſultum agnoſcens, quòd eripuerit animam ſuam de morte, quam quidem mortem frequenter in hoc ſeculo ſuſtinuerat. Conuertere anima mea in requiem tuam, in quam feſtinauit intrare Stephanus, & ingredi in ciuitatem Ie-

tem Ierusalem, de qua dictum est, Et Reges gentium ferent gloriam in illam. Illa est vera gloria, quæ ibi sumitur: illud regnum beatissimum, quod ibi possidetur. Solutus dubio certamine Stephanus, fruitur nunc augusta memoria, luce perpetua, tranquillitate diuturna; & pro suis laboribus, quos pro regni honore, & salute suscepit, remunerationis diuinæ fructibus gratulatur. Et ego quidem, vt orationem meam, in laudem ipsius conuertam, dilexi Stephanum Regem; singulari prudentia virum, iustitia ornatum, inuicto & infracto animo omnia gerentem. In rebus publicis & priuatis, in rebus ciuilibus & domesticis, in rebus forensicis & bellicis, cautum, prouidum, circumspectum, sagacem, atque strenuum: semper paratum ad ius reddendum, ad iudicandum, ad consulendum, ad pugnam, ad aciem, ad bellũ, ad pacem, ad animi tranquillitatem, ad reipublicæ concordiam: prompto animo belli expeditiones subeuntem: in prosperis, & aduersis rebus, eadem frontis serenitate, at-

que vul-

que vultus maiestate, omnia disponentem. Meritò ergo erat diligendus, qui magis arguentem, quàm adulantem probabat. Conteror corde, quia ereptus est nobis vir, cui vix possumus inuenire similem. Sed tu tu solus Domine inuocandus es, tu rogandus, vt eum in suo nepote, Sigismundo Tertio repræsentes. Da quæso Domine requiem seruo tuo Stephano, requiem quam pręparasti Sanctis tuis. Illò conuertatur anima sua, vnde exiuit, vbi mortis aculeum sentire non posit, vbi cognoscat mortem hanc non hominis finem esse, sed culpæ. quod enim mortuus est, peccato mortuus est, vt iam peccato locus esse non posit. Prosequar lachrymis, virum belli & pacis conseruatorem: in vtraque fortuna bellissimè se gerentem: cuius obitum, non solùm Summum Pontificem Sixtum, huius nominis Quintum, ac alios christianos reges, & principes, verùm etiam Imperatorem Turcarum, vsque ad lachrymas defleuisse audiuimus. Et reuera, sicut eo viuente apud nos,

nunc verò apud ſuperos, ſua mundus pace fruebatur, omniumque bonorum copia, & rerum tranquillitas eſſe videbatur; ita planè, eo à nobis recedente, omnium malorum exundauit confuſio. Quantæ inde hominum ſtrages! quantæ inſanientium hæreticorum in catholicos inſultus! quantæ miſerorum iugulationes! quantæ pauperum anguſtiæ, lachrymæ, & oppreſſiones! quantæ eccleſiarum prophanationes! ô Stephane, Stephane, verè corona regum noſtri temporis, & decus ſingulare, cuius inſignem, atque illuſtrem virtutis memoriam, nulla vnquam tēporis delebit obliuio. Manet ergo in lumine Stephanus, & ſanctorum cœtibus gloriatur: iam potentior, iam glorioſior, ad cælum migrauit, quem angelorum caterua deduxit, quem ſanctorum turba eſt proſequuta. Et tu beata es Cracouia, quæ corpus pugnaciſſimi, & inuictiſſimi Regis ſuſcipis, & habitatorem ſupernæ illius ciuitatis, auguſto ſepulti corporis conſeruabis hoſpitio. Nō poſſum ergo tibi non acclamare Stephane

Scre-

Serenissime, bene, præclare, feliciter. Quare molliter quiesce in cubili tuo: dormi suauiter in sepulchro tuo: aderit tempus, & breui, quando audies vocem tubæ, qua expergefactus, procedes à puluere, vnaque cum cæteris regibus, qui bene meriti sunt de repub. christiana, raperis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic perpetuò cum domino eris. Interim nos deflemus damna nostra; tu verò in cælo optima, atque perpetua vita, cum cælestibus spiritibus donatus, pro nobis orare non cesses; vt ex præsentibus, & futuris malis liberati, Deo Optimo Maximo immortales gratias agere valeamus.

FINIS.